



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

VI. Vt clericus non ordinetur, qui secundam habuit vxorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

## II.

Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum  
militiaꝝ ſecularis habuerit, ad clericatum omnino admitti  
non debet.

## III.

Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos ,  
tam superioris ordinis , quam etiam inferioris , fuerint  
exortæ , vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis  
eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec  
alicui liceat , ſine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ ,  
cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri , relictis  
his fæcerotibus qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam  
nutu diuino gubernant , ad alias conuolare prouincias.  
Quod ſi quis forte præſumpferit , ab officio clericatus  
ſubmotus , velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur.  
Si autem maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ , ad  
ſedem apostolicam , ſicut Synodus statuit , post epifcopale  
iudicium referatur.

## IV.

Vt mulierem clericus non ducat vxorem , quia ſcri-  
ptum eſt , *Sacerdos uxorem virginem accipiat* , non viduam ,  
nec eieſtam . Vtique qui ad fæcerotium labore ſuo & vi-  
taꝝ probitate contendit , cauere debet ne hoc præiudicio  
impeditus peruenire non poſſit.

## V.

Vt ſi quis mulierem , licet laicus , duxit vxorem , ſiue  
ante baptismum , ſiue poſt baptismum , non admittatur  
ad clericum , quia eodem vitio videtur exclusus. In bapti-  
ſmo enim crimina dimittuntur , non acceptæ vxoris con-  
fortium relaxatur.

## VI.

Ne is qui ſecundam duxit vxorem clericus fiat , quia  
ſcriptum eſt : *Vnius uxoris virum : & iterum : Sacerdotes mei  
ſemel nubant : & alibi : Sacerdotes mei non nubent amplius*. Ac ne  
ab aliquibus existimetur , ante baptismum ſi forte quis ac-  
cepit vxorem , & ea de ſeculo recedente alteram duxerit ,  
in baptiſmo eſſe dimiſſum , ſatiſ errata regula : quia in ba-  
ptiſmo peccata remittuntur , non acceptarum vxorum  
numerus aboletur . cum vtique vxor ex legis præcepto  
ducatur , in tantum vt & in paradiſo cum parentes huma-

B iii

14 INNOCENTII PAPÆ I.

*Pray. 19.* ni generis coniungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit: *A Deo præparabitur viro vxoris.* Quam formam etiam sacerdotes omnes seruare vñsus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere vxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari: cum benedictio quæ per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus instituta doceatur. *Quod si non putatur vxoris esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.*

*Dicit. 34.  
Quod si  
non.*

VII.

*Dicit. 71. De  
aliena.* *Vt de aliena Ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi eius Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus statuit Nicæna, vt abiectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.*

*Cod. 16. &  
17.*

VIII.

*Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamvis ab hereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipescentes & ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittiendi sunt.*

IX.

*Dicit. 31. Te-  
nere debet.* *Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, vt sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti es tu, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sibi successione vxorius vñsus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis diuinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si beatus*

*Leuit. 11.  
44. & 20.*

*Luc. 1.*